



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 An materia debeat esse certa, & definita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

triales, vel simpliciter necessarii, vt per se constat: imo nec satis certum est, eo tempore, quo Christus protulit verba consecrationis, habuisse panem in manibus. Potuit enim prius accipere, & frangere, & postea in mensa coram discipulis ponere, dicens, Accipite & comedite, ac postea verba consecrationis proferre. Itaque, licet contrarium forte probabilius sit, non tamen propterea esset ad consecrandum necessarium, cum veritas materiae, aut formae id non requirat. Et eadem ratione non est necessarium materiam esse ita propinquam, vt à ministro tangi possit, cum neque ex significatione formae, neque ex alia probabili ratione id colligi valeat. Denique necesse non est, vt sonus perueniat, aut peruenire possit ad materiam. Primo, quia neque ex vi significationis verborum hoc est necessarium, vt constat: neque ob sacramentalem efficientiam, vt ex doctrina de sacramētis in genere suppono. Secundo, quia ex vſu Ecclesiae constat contrarium: alias si calix coopertus, vel forma sub aliis existens consecrarentur, vel si Sacerdos submisſe loqueretur, & materia aliquatulum, verbi gratia, per duos passus distaret, nihil fieret, quae plane sunt absurda. Quocirca nulla certa regula praescribi potest, quae hec propinquitas necessaria definiatur, vnde Durandus, Paludanus, & alij dicunt, solum Christum, qui hoc sacramentum instituit, posse huius praesentiae certum terminum designare: à nobis vero moraliter diiudicandum esse. Et ideo in praxi obseruandum est, vt pars secunda & certa semper eligatur, ita vt dubitari non possit, quin veritas, & proprietates formae retineatur, quod maxime fiet, vſum Ecclesiae seruando.

Dubium 2.

Secundo quaerit aliquis, vtum oporteat totā distantiam, quae inter materiam & ministrum esse potest, esse oculis peruiam, ita vt nullum corpus opacū interiectum sit. Et ratio dubitandi pro vtraque parte supra tacta est. Vnde vix potest etiam in hoc certa regula assignari, sed relinquendum est prudentis arbitrio, & diligenter cauendum, vt proprietates & veritates formae seruentur. Nam reuera non est simpliciter necessarium, vt tota distantia oculis pateat: quia non videtur dubium, quin panis vel vinum, vel lineo coopertum consecrari possit: quia hoc non tollit humanam praesentiam, & propriissime potest per illam vocem, hoc designari. seruata eius proprietate & significatione. Nihilominus tamen ex iſtimo, consecrari non posse panem post parietem existentem, vt omnes auctores docent, quia reuera est humano modo absens: quapropter considerandum videtur, an corpus illud, quod interponitur, solum sit, veluti proximum continens, seu cooperiens materiam, quia tunc non videtur tollere sufficientem praesentiam, quia totum illud per modum vnius designatur: secus vero est, si absque vlla huiusmodi habitudine interponatur: tunc enim propriam sententiam excludit.

Enodatur.

Dubium 3.

Tertio quaeri potest, an sufficiat, rem esse praesentem per aliquam partem sui, vt tota possit consecrari. Videtur enim hoc sufficere, cum talis res possit proprie pronomine, hoc, designari. In contrarium vero est, quia, hoc admissio, potest aliquis simul consecrare infinitam (vt ita dicam) panis vel vini multitudinem, dummodo per superficiem, vel partem aliquam haberet illam praesentem, eo modo, quo est praesens mare, quando ex litore videtur. Respondetur, in vniuersum, seu physice loquendo, hoc non satis esse quia proprie, & in rigore non est mihi praesens totus aer, qui est vsq; ad caelum: nec tota aqua maris, etiamsi aliquam eius partem videam, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam praesentiam id nihil refert. Vnde tota illa pars, quae eminens distat, ita est absens, ac si esset res per se separata. Oportet ergo, vt tota materia, secundum omnes partes consecrabilis, sit aliquo modo praesens & moraliter praesens. Vnde fit, esse valde probabile hanc distantiam vel praesentiam non esse aequalem in om-

Satis si dubio.

ni materia, sed debere esse iuxta proportionem & quantitatem magnitudinis eius. Et ideo difficile semper est certos terminos illius designare, sed ad rem morale non multum refert, quia nunquam res ad has angustias redigitur, sed maior est semper praesentia, quam in rigore necessaria sit.

SECTIO VI.

Vtrum oporteat materiam consecrandam esse certam & definitam.

Quaestio intelligitur de materia certa in individuo & particulari: haec autem certitudo seu definitio materiae ex intentione consecrantis sumenda est, cum enim materia sit panis & vinum, absolute explicare oportet, an necesse sit, consecrationem ex intentione ministri defini ad hunc panem, & hoc vinum, in quo refertur opinio Maioris, dist. 11. quaest. 2. negantis, ne. *Mater.* necessarium esse definitam materiam. Sed neque est opinio eius, neque alicuius potest esse.

Dicendum est ergo, vt consecratio fiat, necesse est esse materiam in particulari definitam per intentionem consecrantis. Ita docent Doctores omnes citati, & citandi. Ratio est, quia actiones circa particularia verificantur. Vnde, nisi in particulari definita materia, nihil est, quod consecrari possit. Confirmatur, quia intentio operantis debet esse practica, & operatiua: non erit autem huiusmodi, nisi veretur circa determinatam materiam. Confirmatur secundo, quia alias forma non significabit effectum, quia non demonstrabit materiam, quae consecratur. Tandem in aliis sacramentis quae consumuntur in vſu, quia circa subiectum sanctificandum versantur, necesse est subiectum esse certum, & definitum. Nam si quis intendat baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil facit, ergo similiter, &c.

Ethinc sequitur primo, si quis habeat praesentes octo hostias, & intendat consecrare sex tantum, non determinando illas, sed in consilio, nihil efficitur probatur, quia materia illa non est definita. Item, ille non consecrauit omnes, quia hoc non intendit: neque has potius, quam illas, quia non est maior ratio: ergo. Et ita docuit Maior supra, & Durand. dist. 11. qu. 7. Richard. dist. 10. artic. 7. q. 2. & omnes. Dices, posset minister remittere suam intentionem in intentionem Dei, vnde ex voluntate diuina, consecraret potius tunc has, quam illas: sic enim possum offerre sacrificium pro vna anima purgatorij, non determinando illam, sed voluntatem remittendo in electionem diuinam. Et confirmatur primo, quia hoc modo potest minister remittere suam intentionem in intentionem alterius hominis: vt si intendat consecrare, ex illis octo, sex, quas Petrus deseruierit, ergo similiter. Confirmatur secundo, quia, si in sacramento Penitentiae Sacerdos intendat absolvere, non ab omnibus peccatis, praesertim venialibus, sed à duobus tantum, quamuis illa in particulari non determinet, sacramentum tenebit. Respondetur ad argumentum, illum modum intentionis non esse accommodatum hominibus. Oportet enim expectare diuinam reuelationem, vt constaret, quae materia esset consecrata: & ideo illa intentio est imperinens & insufficientis. Neque est simile illud de sacrificio: tum, quia in eo opere Deus est, qui immediate operatur, & remittit penas: & ideo optime in eius voluntatem remittitur, vt id faciat, prout voluerit: at vero in praesenti, minister est, qui proxime operatur suis verbis, & ideo oportet, vt ipse sua intentione definiat materiam: tum etiam, quia ille effectus est mere spiritualis, quem non oportet esse notum hominibus, hic autem est constructio sensibilibus sacramenti ordinata ad vſum hominum. Vnde ad primam confirmationem respondetur: si intentio referatur in futuram determinationem

alterius, nihil fieri, quia effectus sacramenti non potest esse pendens: si vero referatur in voluntatem, seu determinationem alterius factam, vel faciendam, prius quam verba proferantur, si ad huc illa sit ignota ministro, præter graue peccatum, existimo nihil fieri: quia, si determinatio alterius sit occulta, non potest in mentio ministri, nec significatio verborum, prout ab illo proferuntur, ad certum aliquid referri: & ita nihil poterit designari pronomine, hoc: si autem illi nota est alterius voluntas, & illi conformatur, iam habet intentionem satis definitam. Ad aliam confirmationem respondetur, illam intentionem absolueris non versari circa sacramentum, sed circa effectum. Vnde si intendit conferre huic sacramentum Penitentia, illud necessarium est, & sufficit, vt sacramentum teneat. Et hoc posito, quamuis ipse velit remittere tantum duo peccata venialia, sacramentum remittet omnia, si subiectum sit dispositum, quia, vt alias dixi, intentio ministri non potest impedire effectum, si alias habeat intentionem efficiendi sacramentum. At vero in præfenti dicitur intentio necessaria circa sacramentum ipsum, quod per consecrationem materia efficitur.

Sed obiicit rursus aliquis. Ergo si Sacerdos consecraret, cogitans tantum se habere vnam hostiam, & post consecrationem inueniat duas, nihil efficit, quia nec ambæ erunt consecratae, quia hoc non intendebat: neque vna, quia non est maior ratio de vna, quam de alia. Respondetur, vt ramque esse consecratam: quia, vt dixi in materia de sacramentis in genere illa est priuata deceptio, quæ non tollit intentionem debitam, quæ esse debet, & moraliter est circa hanc materiam præsentem, prout in re proponitur, secus esset, si præcisè vellet minister consecrare hostiam, quam oculis videt: sed hoc nec fit, nec fieri debet. Ita docent authores paulo antea citati, & Syluester, Euchar. 2. quæstion. sexta, qui etiam addunt, si de contrario minister deferat ad altare plures hostias consecrandas, & postea in actuali consecratione tantum recordetur eius, quæ habet in manibus, omnes nihilominus manere consecratas, quia sufficit intentio virtualis, quod etiam docuit Angelus, verbo, Eucharistia, numer. 27. & Natur. cap. 25. num. 91. Quod moraliter, & regulariter intelligendum existimo, dummodo omnes illæ hostiæ habeant illam præsentiam, quam iuxta morem Ecclesiæ & debitam intentionem ministri habere debent. Hæc autem esse videtur, vt sint super altare sacrificij id est, super aram: vnde si iuxta illam relinquuntur, & prorsus obliuioni tradantur, regulariter non existimarem esse consecratas, & vt minimè, esset res valde dubia. Et hinc non de præfenti iudicij ferri debet de intentione habenda circa materiam calicis. Nam Sacerdos intendere debet consecrare illud, quod per modum vnus continui intra calicem existit, vnde si aliqua sint guttæ, vel extracalicem, vel etiam intra, separata: tamè à toto vino, verisimilius est non manere consecratas, iuxta vnitatè ac debitam intentionem ministrorum. Quod tamen multo certius est de tota materia, quæ extra calicem reperta fuerit.

Secundo colligunt authores omnes, si Sacerdos consule intendat, consecrare dimidiam partem hostiæ, non signando quam earum, nihil efficere. Et idè est, si intendat consecrare omnes partes pares, aut impares, quia in his omnibus casibus non determinat materiam: secus vero erit, si determinate velit consecrare hanc partem hostiæ, & non illam. Nam licet grauius peccet, hoc modo consecrando, est enim illa grauis irreuerentia, quia vix poterit postea separari pars consecrata à non consecrata: nihilominus tamen consecratio valida est: quia illa materia certa est & definita, & reuera est panis, & continuatur cum aliis partibus non impedit essentialiter: sicut etiam post consecrationem potest vinum non consecratum consecrari misceri, & non propterea tollitur Franc. Suarez Tom. 3.

consecratio. Et in hoc continentur omnes authores supra citati, Durand. Palud. Maior. Richard. dist. 11. Ang. Euchard. 1. num. 26. Syluest. verbo, Euchar. 2. & alij Summistæ. Solum posset hic dubitari de superficie continuante partem consecratam cum reliquis non consecratis, an maneat sub illa Christus, & ad partem consecratam proprie reducenda sit. Sed de hoc dicemus infra suo loco, pendet enim ex modo, quo Christus est sub indiuisibili termino quætitatis, & ex aliis, quæ de speciebus consecratis infra dicenda sunt.

Ex dictis vero infert vterius Maior, si Sacerdos intendat consecrare primam partem signatam proportionalem hostiæ: verbi gratia, primam quartam partem, non vero secundam, & in reliqua medietate similiter, & sic in infinitum, consecrationem esse validam, quia semper signatur materia certa, & determinata. Vnde infert, posse per consecrationem fieri, vt infinitæ partes proportionales substantiæ maneat inter se substantiæ distinctæ, & alia familia absurda inde concludit. Sed errat manifestè, quia illa intentio secum ipsa pugnat, & contra dictionem inuoluit, & tunc abest, vt sit definita, quod potius est, confusissima, cum feratur in infinitam multitudinem, quam nulla mès, præsertim humana, potest definire demonstrare, imo qui dicit infinitum, dicit quid indeterminate. Vnde cum consecrationem quarundam partium faciat dependentem à consecratione aliarum seu à tota intentione, quæ versatur circa totam multitudinem, nihil prorsus efficit, quia illa intentio est, vt dixi, insufficientis, & repugnans.

SECTIO VII.

Vtrum materia qua consecrari potest, certum terminum paruitatis habeat.

Sicut Philosophi, agentes de proprietatibus rei naturalis, distinguunt duos terminos quætitatis, scilicet, magnitudinis, & paruitatis, ita Theologi in præfenti materia: eosdem inquirunt, vt explicant, quanta sit materia, quæ simul consecrari potest. Hic ergo inquirimus, an detur certa quantitas minima panis, aut vini, quæ minor consecrari non possit.

Supponendum est autem, dupliciter considerari posse hanc quætitatem panis, scilicet, vel per se separata, vel vt coniunctam aliis partibus totius, in quo dupliciter potest intelligi consecrari pars: primo, sola ipsa: secundo, simul cum toto. Hoc ergo posteriori modo, si pars existens in toto, simul cum toto consecratur, nulla erit adeo modica, vt minor consecrari non possit, quia, sicut ex Philosophia constat in toto nõ dari partem minimam, ita certum est in Theologia, consecrata tota hostia, consecrari omnes, & singulas partes, nec signari posse quantitatem minimam consecratam, quin sub quacumq; minori totus Christus existat, vt infra dicetur. Duplex ergo superest dubitatio. Prima, an panis per se separatè possit in quacumque minima quantitate consecrari. Secunda, an pars existens in toto possit in illo consecrari, in quacumque minima quantitate non consecrato toto pane. Loquimur autem, exempli gratia, de pane. Nam in omnibus eadem est ratio de vino, de quo pari ratione omnia sunt intelligenda.

Dico primo, Panis consecrari potest in quacumque quantitate minima, quæ humanis sensibus obijci possit: ita sentit D. Thom. hic, & in 4. d. 11. quæ. 2. art. 1. quæstion. 3. & ibi Durand. qu. 6. Gabriel quæst. 2. artic. 3. & reliqui fere omnes, Alensis 4. part. quæ. 34. m. 1. ar. 3. ad secundum, & ratio est, quia licet quantitas sit minima, tamè panis est verus, & si potest obijci sensibus, potest per formam signari, & potest esse figurum sensibile. Paruitas deinde quantitatis non obstat, quo minus sub illa totus Christus existere possit, vt de facto constat in partibus coniunctis in toto.

S f 3 vel

Durandus.
Palud.
Maior.
Richard.
Angelus.
Syluest.

Maioris illa.

Refutatur.

1. Consistit.
D Thom.
Durand.
Gabriel.
Alensis.